

bellionem carnis, velut Paulus, qui ne magnitudo revelationum extolleret illum, opus habuit stimulo carnis, qui eum colaphizaret. Tandem, quia finis conceptionis Virginis fuit conceptio Christi: ergo cum in eius conceptione Deus hunc respererit finem, non debuit in Virgine permittere labem tali finis minime consentaneam; maxime quia statim post conceptionem erat ipse emundaturus Virginem a peccati labe, ut immaculatum Dei templum esset: convenientius itaque erat, maculam non permittere, quam ab illa post casum liberare: cum ergo alteratro modo dispensandum esset in lege communi, et primum sit in se convenientius, illud certe factum fuisse prudenter credemus.

HOMILIA XIX.

Ad immaculatam Deiparae conceptionem magis stabilendam per palchra contextitur catena ex sacra Scriptura; ex testimoniis pontificum, et conciliorum; ex consensu universalis Ecclesiae; ex miraculis, et revelationibus; ex sanctis Patribus; ex gravissimis, tam vetustis, quam novis, tam mysticis, quam scholasticis doctoribus, necnon ex iure canonico, et civili.

§ I.

EX SACRA SCRIPTURA

Quamvis ex mystico sensu non possit efficax argumentum desumi ad res fidei confirmandas, eo quod non constet illum esse intentum a Spiritu sancto, ut cum d. Hieronymo (in *Math.* 13), et Augustino (ep. 48. cont. Vincent.) unanimi consensu docent theologo in primam partem d. Thomae (q. 1 ar. 10 et Quod. 7. ar. 14. ad 4); supposita tamen gravissimorum doctorum expositione, et praecipue Ecclesiae catholicae applicatione, magni ponderis est mystica intelligentia; maxime, cum de singularibus privilegiis beatae Virginis agitur, quorum permulta accepta Ecclesiae romana, quae magistra est omnium ecclesiarum, absque loco aliquo expresso sacrae Scripturae, illa docente, ut, quod non peccaverit umquam venialiter, quod corpus eius putredinem nescierit, quod in corpore, et anima assumpta fuerit in coelum; hoc supposito, verba illa (*Genes. c. 3*): *Inimicitias ponam inter te, et mulierem*, quae de beata Virgine fore intelligenda docent gravissimi Ecclesiae Patres, Ambrosius (*de fuga saecul. c. 7*), Gregorius (1. moral. c. 19. alias 38), Augustinus (12 Gen. ad liter. c. 39. et lib. 2. de gen. cont. Manichaeos c. 18), Bernardus (ser. 2. in Missus est, et serm. *Signum magnum*), Beda, Eucherris (*super gen. 3*), et alii permulti praenotarunt futuras inimicitias perpetuas inter daemones, et Virginem; numquam ergo per peccatum originale amicitias inierunt, alioquin prius daemones contrivisset caput Virginis, quam ipsa contereret caput illius: unde S. Brimus (ser. de *Nativ. Mariae*) versans

locum illum Job (*cap. 40*): *Numquid illudes ei quasi ari, aut alligabis eum ancillis tuis?* dicit Virginem esse ancillam, cui Dominus alligavit semper Leviathan; et d. Epiphanius sermone de Virginis laudibus ingeniose dixit, immaculatam Virginem significatam fuisse per invencam illam libri Numerorum, nunquam iugum expertam, quia peccati iugo nunquam subiavit. Canticorum item varia sunt loca: *Sicut liliam inter spinas, sic amica mea inter filias*: *Tota pulchra es amica mea, et macula non est in te*; quae de Ecclesia non possunt verificari, cum multi in ea sint maculati, nisi ratione principalioris membri illius, quod est beata Virgo, ut perdoctae adnotavit Iacobus Valentinus Episcopus Constantinopolitanus super psalmum quadragesimum quintum. Simile est illud: *Una est columba mea, perfecta mea; non autem esset unica, si solum fuisset sanctificata, et non preservata, cum et alii fuerint sanctificati in utero materno*. Ibidem etiam dicitur: *Hortus conclusus, fons signatus*; si autem aditus ad eam daemones patuisset, non fuisset hortus undique, et semper conclusus, sed potius in conceptione aperitus, ac violatus. Ac tandem vocatur a Sponso: *Immaculata mea*; si autem maculam peccati originalis contraxisset, maculata fuisset, non immaculata. Sponsus etiam solus, qui tenebras nunquam novit, illam comparat: *electa, ut sol*: et illud *Psalmi 88*. *Thronus eius, sicut sol*; quod de b. Virgine intelligit S. Ioannes Damascenus. (*lib. 4. c. 15*). Ecclesia deinde catholica in die conceptionis, et alibi, saepe verba, quae secundum sensum literalem intelliguntur de aeterna Sapientia, applicat, et accommodat b. Virgini; inter quae haec quae sequuntur, illibatam conceptionem adstrunt: (*Proverb. 8*): *Dominus possedit me in initio viarum suarum, antequam quidquam feceret a principio*. Si ergo ab aeterno b. Virgo fuit possessa a Deo; ergo non a daemone per peccatum originale; alioquin antiquior fuisset possessio daemones, quam Dei: aeterno autem nihil est antiquius. Et libro Sapientiae Salomon ad (*Sapient. 7*): *Emanatio quaedam est claritatis, omnipotentis Dei sincera: et ideo nihil inquinatum in eam incurrit, et paulo inferius vocat illam: Speculum sine macula*. Ac tandem (*Ecclesiast. c. 24*) dicitur: *In me omnis gratia vitae, et veritatis*; ergo gratia praeservationis a peccato originali et non defuit. Job item (*cap. 3*) agens de peccato originali, sub metaphora caliginosae noctis dicit: *Expectet lucem, scilicet Christum, et non videat, neque ortum surgentis aurorae*: per quam b. Virgo significatur; sic enim exposit hanc locum d. Thomas, applicans illum ad ortum extra uterum; sed aequè bene applicari potest ad conceptionem, quae est ortus in utero. Facit ad idem totus (*Psalmus 84*): *Benedixisti Domine terram tuam, ut tibi exponit Arnobius (super Ps. 85), et Isidorus (ad sororem Florentinam)*. Ac tandem verba illa angelica, quae ex divino precepto angelus Virgini dixit, *Ace gratia plena*, habenas laxant ad ea omnia privilegia Virginis tribuenda, quae Matrem Dei decet, cum ad hanc finem, et scopum illa plenitudo ei fuerit collata: ad decet maxime, ut quae Dei Genitrix futura erat, numquam maculata, aut diaboli an-

cilla prius exstisset: sufficienter ergo ex sacris libris christiana pietas immaculatam Virginis conceptionem elicit; maxime cum, ut supra adnotavi, ad incorruptionem corporis, et assumptionem Virginis, quam universalis consensus docet Ecclesia, nulla his clariora testimonia, quibus immaculatam comprobamus conceptionem, in sacris eloquiis reperiantur. Accedunt ad haec variae figurae, quibus Patres passim utuntur ad b. Virginis commendationem, ut Eva, quae in gratia fuit creata; Paradisus, super quem non cecidit maledictio Dei; arca Noe, quam diluvii aquae non inundaverunt; pulcher thronus Salomonis eburneus, et absque macula; arca Davidica, ad quam pestifera contagio non appropinquavit; terra sacerdotalis, quae ab omni tributo immunis erat; Sara, quam non tetigit Abimelech, et aliae permultae, quas in superioribus homiliis late explicuimus, et multiplici Patrum eruditione illustravimus.

§ II.

EX ROMANIS PONTIFICIBUS, ET CONCILIIS

Quamvis adhuc romani Pontifices, apud quos solum residet potestas definiendi ea, quae sunt inconcussa fide tenenda, non definiunt tamquam certam secundum fidem veritatem hanc immaculatam conceptionis b. Virginis (1), tamen illi vehementer favent, et in eam summo prope tendunt, sicut et nonnulla concilia, quorum verba referemus, ut id omnibus manifestius pateat. Et quidem in primis hanc sententiam tanquam probabiliorem, et ab omnibus amplectendam approbavit Alexander Quintus (n. 3. dist. 3) sub nomine Petri de Candia: verum tamen est, quod haec scripsit antequam esset Pontifex; asserit tamen Varro (in eadem 3. dist. 3): *Sanctissimus Dominus papa Alexander V. approbavit opinionem Minorum*. Referunt quidam recentiores hanc approbationem, et confirmationem fecisse in civitate Pisarum, anno 1411. Deinde tres Pontifices, Iulius II. Alexander VI. et Sixtus IV. approbarunt, et confirmantur religionem institutam in honorem immaculatae conceptionis b. Virginis, in cuius regula c. 3. dicitur: *Animam Virginis a primo instanti creationis fuisse sanctam*; eique varias indulgentias in honorem eiusdem immaculatae conceptionis concesserunt, ut constat ex compendio Mendicanium, verbo *Communicatio*, §. 18. et *Conceptio*, §. 10. 12. et 13. At non est dicendum a Pontificibus fuisse confirmatum, et ab Ecclesia retineri religionem consecratam in honorem alicuius fidae sanctitatis: censebant ergo sancti illi Pontifices b. Virginis valde probabilem conceptionem immaculatam fuisse. Adde, singulis annis Romae in praesentia summi Pontificis, in eius capella, adstante purpureo cardinalium senatu, missam conceptionis b. Virginis solemniter decantari. Extat deinde celebris decretalis Sixti IV., ad obstruenda ora impugnantium

sanctitatem Marianae conceptionis, in qua, non solum Virginem, sed et ipsam eius conceptionem expressis verbis vocat *immaculatam*: Eius verba, etsi multa, non gravabor referre: *Grave nimis gerimus, et molestum, cum sinistra nobis de quibusdam ecclesiasticis personis referuntur, sed in eorum, qui ad evangelizandum verbum Dei sunt deputati, cum facili deleri nequeant, qui multorum cordibus sic fusiis praedicando, diffusius, et damnabiliter imprimuntur errores. Sane, cum sancta romana Ecclesia de imlematae, semperque Virginis Mariae conceptione publice festum celebret, et speciale, ac proprium super hoc officium ordinaverit; nonnullos tamen accipimus praedicatoribus in suis sermonibus ad populum publice per diversas civitates, et terras affirmare haec non erubuerunt, et quotidie praedicare non cessant, omnes illos, qui tenent, aut asserunt eandem gloriosam, et immaculatam Dei Genitricem absque originali peccati macula fuisse conceptam, mortaliter peccare, vel esse haereticos, eiusdemque immaculatae conceptionis officium celebrantes, et audientes sermones illorum, qui eam sine huiusmodi macula conceptam esse affirmant, peccare graviter: sed, et praefata praedicationibus non contenti, confectis super his suis assertionibus, libros in publicum ediderunt, ex quorum praedicationibus, et assertionibus huiusmodi, non levia scandala in mentibus fidelium excorta sunt, et maiora merito excoritari formidantur in dies. Nos igitur huiusmodi temerariis ausibus, et perversis assertionibus, et scandalis, quae excidit in Dei Ecclesia excoritari possent, quantum nobis ex alto conceditur, obviare volentes, motu proprio, non ad alicuius nobis super hoc oblatæ petitionis instantiam, sed de nostra mera deliberatione, et certa scientia huiusmodi assertiones praedicatorum corvum, et aliorum quorumcumque, qui affirmare praesumerent, eos, qui crederent, et tenerent eandem Dei Genitricem ab originali peccati macula in sua conceptione praeservatam fuisse, propterea alicuius haeresis labe pollutos fore, vel mortaliter peccare; aut eiusdem conceptionis officium celebrantes, aut huiusmodi sermones audientes alicuius peccati reatum incurrrere, utpote falsos, et erroneos, et a veritate penitus alienos, editosque insuper libros praedictos id continentibus, quoad hoc auctoritate Apostolica praesentium tenore reprobamus, et damnamus, ac nulli scientia, et auctoritate praedictis, slatutimus, et ordinamus, quod praedicatores verbi Dei, et quicumque alii cuiuscumque status, gradus, ordinis, et conditionis existant, qui de cetero ausu temerario praesumpserint in eorum sermonibus ad populum, seu alias quomodolibet affirmare huiusmodi sic per nos reprobatas, et damnatas assertiones veras esse, ac dictos libros pro veris legere, tenere, vel habere, postquam de praesentibus scientiam habuerint, ecommunicationis sententiam eo ipso incurrant, a qua ab alio, quam a romano Pontifice, nisi in mortis articulo, nequeant absolutiois beneficium obtinere. — Haec summus Pontifex, quibus quantum immaculatae Virginis conceptioni faveat, nemo sanae mentis est, qui non videat.*

Praeterea in sexta synodo Constantinopolitana

(1) Iam superius diximus in adnotationibus, veritatem de immaculata Virginis conceptione definitam fuisse uti dogma fidei anno 1854 a Summo totius catholici Orbis Pontifice Pio IX. CARTHAGENA de B. M. V. — Vol. I.

tana, Sophronius in sua catholica confessione expresse dicit: *Mariam fuisse liberam ab omni contagione peccati*; ibi autem loqui de praeservatione etiam a peccato originali, tradit ipse marginaliter, dicens: *nota de puritate Conceptionis beatae Mariae*. Ita habetur tom. 3. Conciliorum in 6. synodo Constantiensi, actione 11. sub Agathone in epistola Sophronii Patriarchae. Exlat deinde decretum Concilii Basiliensis (impress. facta sub Sixto V. Venetiis 1585) in huius rei confirmationem, cuius Romae perseverat Bulla plumbata, et authenticata, nunquamque revocata: quod quidem decretum, licet non habeat vim definitionis, quia acta illius concilii non fuerunt a Sede Apostolica confirmata, non tamen parum roboris habet ad confirmandam hanc sententiam, cum in eo concilio interfuerint innumeri Episcopi, et doctores gravissimi, qui huius sententiae unanimi consensu subscribere. Verba illius decreti sunt: *Hactenus vero difficultis quaestio in diversis partibus, et coram hac sancta synodo super Conceptione ipsius gloriosae Virginis Matris Dei, et exordio sanctificationis eius facta est, quibusdam dicentibus, a principio creationis suae Deum, ipsam diligendo, gratiam eidem contulisse, per quam ab originali macula illam beatissimam personam liberans, et praeservans, sublimioris sanctificationis genere redemat, cum fundaret eam ipse Altissimus, et ipsam fabricaret Filius Dei Patris, ut esset eius Mater in terris. Nos autem diligenter aspectus auctoritatis, et rationibus, quae iam a pluribus annis in publicis relationibus ex parte utriusque doctrinae coram sancta synodo allegatae sunt, aliisque plurimis in hac parte visis, et matura consideratione pensatis, doctrinam illam, asserentem gloriosam Virginem Mariam, praeveniens, et operante divini muneris gratia singulari, et actuali ruga, sanctamque et immaculatam semper fuisse, tamquam viam consonam cultui ecclesiastico, fidei catholicae, rectaeque rationi, et sanctae Scripturae, ab omnibus catholicis approbandam, fore tenendam, et amplectendam, definimus, et declaramus nulli de cetero licitum esse in contrarium praedicare, vel docere. Renovantes praeterea institutionem de celebranda eius conceptione, quae tam per romanam, quam per alias ecclesias VI. Idus Decembris, antiqua, et laudabili consuetudine celebratur: statuimus, et ordinamus, eandem celebratam praefata die, in omnibus ecclesiis, monasteriis, et conventibus christianae religionis sub nomine Conceptionis festis laudandis colendam esse; cunctisque fidelibus vere poenitentibus, et confessis, ea die Missarum solemnissimis interessentibus, centum dies primis, ac secundis Vesperis totidem; sermoni vero verbi Domini de ea festitate, quadraginta dies de invictis sibi poenitentibus, concessione perpetuis temporibus duratura, haec sancta synodus elargitur. Datum Basileae in nostra sessione publica in ecclesia maiori Basiliensi solemniter celebrata XV. Kalendas Octobris anno a Nativitate Domini millesimo quadringentesimo quadragesimo nono. Haec ibi.*

Accedit ad haec illustrissimum, et novissimum sacri Concilii Tridentini decretum, ses-

sione V. ubi postquam generaliter definiat, omnes, etiam ex parentibus fidelibus natos, contrahere peccatum originale, statim excipit beatam Virginem, quam dicit, se non velle comprehendere in praedicto generali decreto. Verba sacri concilii sunt haec (sess. 5): *Declarat tamen haec ipsa sancta synodus, non esse suae intentionis comprehendere in hoc decreto, ubi de peccato originali agitur, beatam, et immaculatam Virginem Mariam Dei Genitricem; sed observandas esse Constitutiones felicis recordationis, Sixti Papae IV, sub poenis in eius Constitutionibus contentis, quas innovat.*—Haec ibi.—Si ergo sacrum concilium, non obstantibus generalibus quotationibus sacrae Scripturae, vult non comprehendere in praedicto generali decreto immaculatam Virginem, certe fideles tenentur id ipsum velle. Est igitur conforme menti sacri concilii Tridentini asserere immaculatam Virginem non comprehendere sub generalibus clausulis sacrae Scripturae, asserentibus omnes contrahere peccatum originale.

§ III.

EX UNIVERSALI CONSENSU ECCLESIAE CATHOLICAE

Universalis Ecclesiae cultus, quae celeberrimum festum conceptionis celebrat, non obscure ostendit, Ecclesiam catholicam hanc sententiam tamquam veram, licet non certam de fide, approbare: coepit enim celebrare hoc festum in ecclesia graeca ante mille annos, ut refert ex Gregorio Nazianzeno Galatians (lib. 7. c. 4), et in ecclesia latina incepti ante quingentos annos; et tandem a romana ecclesia approbatum est, et receptum, ut refert S. Anselmus (in epist. ad Episcopos Angliae), dicens, non esse verum amatorem Virginis, qui non celebrat festum conceptionis; quibus accedunt, quae tradit illustris. card. Baronius pietate, ac doctrina insignis: scribit enim in suo martyrologio: in Anglia primum hoc festum celebrari coeptum fuisse, cujus S. Anselmum, qui de conceptu virginali, et peccato originali pulchrum scripsit opusculum, favisse; et deinde ab ecclesia Lugdunensi, licet cum magna controversia receptum, ac postremo ante ducentos annos ab ecclesia romana amplexum, et indulgentiis auctum. Temerarium autem esset asserere, Ecclesiam in celebratione festi errare, et indulgentias concedere assertoribus aliquid erroris: unde si Ecclesia id celebrat, videtur id omnino esse verum, quia ipsa non celebrat, nec indulgentias concedit sub conditione, nempe v. g. posito quod sit verum, Virginem ab originali fuisse praeservatam: Ecclesia vero id absolute celebrat: ergo omnino verum est; alias Ecclesia illud non celebraret, ne se ulli errori etiam speculative exponeret: sicut Ecclesia non celebraret festum illius diei, in via divinam essentiam, quia licet id sit probabile, est tamen fallibile.

Sed respondent primo contrarium opinantes, celebrari conceptionem, non quia sancta fuerit, sed quia fuit Dei magnam beneficium. Sed contra, quia universi doctores cum d. Ber-

nardo (epist. 174), Ildephonso (lib. de virginitate Mariae), et cum d. Thoma (3. p. q. 27) sufficienter colligunt natiuitatem Mariae sanctam fuisse, quia Ecclesia illam celebrat: ergo si celebrat conceptionem, recte colligitur sanctam fuisse. Praeterea id videtur esse contra sensum Ecclesiae, quae celebrat illud festum; non solum in laudem Dei, sed etiam Virginis: non autem digna esset tali honore, si tunc non fuisset sancta: ergo etc.—Alii respondent, minime conceptionem, sed sanctificationem celebrari, non quia in primo instanti, sed quia intra illum diem sanctificata fuit: sed hoc adversari videtur menti Ecclesiae, quae semper a prima institutione huius festi intendit celebrare immunitatem Virginis a peccato originali: quod patet primo ex d. Bernardo (epist. ad canonice. Lugdunenses), qui plane docet, hunc fuisse sensum ecclesiarum, quae incoeperunt celebrare hoc festum: nec enim ipse reprehenderet Lugdunenses, quod colerent sanctificationem Virginis in utero; hoc enim reprehendere alienum erat a pio viro. Praeterea in concilio Basiliensi (sess. 34) a caetu illorum omnium Patrum dicitur, hoc festum antiqua, et laudabili consuetudine celebrari ab Ecclesia romana propter honorem immaculatae Virginis ab omni macula praeservatae: est ergo obiectum huius festivi cultus praeservatio a macula originali. Secundo: nam in antiquo officio huius festi saepe repebatur, Virginem immunem fuisse ab originali; quod officium institutum est auctoritate Papae, ut docet Sixtus IV. in extravaeganti, *Grave nimis*, et in extravaganti, *Cum praevexisset*, de reliquiis, et veneratione sanctorum, ubi approbat officium, in quo id expresse continetur: nec est credibile, deum permisisset tot animas Ecclesiam decipi instituendo, et retinendo officium, in quo tam notabilis error pertineans ad substantiam officii contineretur, licet Pius V. praedictum officium abstulerit, non tamen quia aliquid falsum contineret, sed quia vultit ad antiquum morem revocare officia, sicut etiam abstulit ex ordine officii sanctum Rochum, et sanctam Annam, et praesentationem Virginis, nihil derogando eorum sanctitati. Immo et festum conceptionis retinendum esse decrevit, et solemniter celebrandum cum officio natiuitatis Virginis, mutato nomine natiuitatis in conceptionis, ad significandum, conceptionem Virginis sanctam esse, et absque peccato, sicut et eius natiuitatem. Tertio, quia Sixtus IV. statuit, non esse demandandum eos, qui celebrant festum conceptionis; et reddit rationem, quia hoc festum ab Ecclesia romana celebratur: ergo intendit ab Ecclesia romana celebrari illud festum, cuius celebrationem illi damnabant; sed hoc non est sanctificationis post lapsum, sed praeservationis ab eo: ergo vere celebrat Ecclesia conceptionem Virginis ab originali praeservatae; et addit non esse demandandos eos, qui tenent contrarium, scilicet, Virginem in originali fuisse conceptam, sic enim ipse explicat; ergo cum Papa dicat, hoc esse contrarium illi, quod Ecclesia celebrat, manifestum est Ecclesiam celebrare conceptionem ab originali immunem; nam si solum celebraret sanctificationem in utero, falso dixit-

set Papa, non peccare mortaliter eos, qui contrarium tenent, cum id sit error contra fidem, atque adeo peccatum mortale, asserere Virginem non fuisse in utero sanctificatam. Tandem, quia Ecclesia probe novit conceptionem immaculatam consistigere ab emundatione maculae, quae est sanctificatio: nam licet credat, Ieremiam, et Baptistam in utero sanctificatos; nunquam tamen dicit eorum conceptionem immaculatam, ut optime observavit d. Bernardus (epist. ad Canonicos Lugdunenses). Praeterea sub eodem officio celebrat Ecclesia, ut supra dicebam, conceptionem Virginis, et eius natiuitatem, mutato solum nomine natiuitatis in nomen conceptionis: putat ergo sanctam fuisse utramque; alioquin erraret Ecclesia celebrando conceptionem Virginis, si sancta non esset; sicut erraret, si celebraret natiuitatem, si natiuitas sancta non esset. Atque hic est sensus omnium fidelium, qui aliqui decepti essent ab Ecclesia, quae indulgentias, et favoribus ad festum immaculatae conceptionis celebrandum eos invitat, ut inquit Sixtus IV. supra relatus: at si in primo instanti habuit maculam, dicebatur est, quod absolute, et proprie loquendo eius conceptio non est immaculata: ergo absolute Sixti pontificis Maximi verba essent falsa, tunc ibi vocat *Conceptionem immaculatam*: unde eruditissimus Canisius, et de beata Virgine ob praecleara eius scripta valde benemeritis (lib. 1. de *Maria Deipara* cap. 7) tam veraciter, quam eleganter dixit: *Quamvis liberum relinquatur, hanc, illamque sepe opinionem, tamen prior sententia, velut pia magis, ac probabilior, palmam obtinuit possim; nec solum in romana Ecclesia, sed in aliis etiam longe dissitis nationibus, mirabili popularum consensu corroboratur, huc omnium animis maxime propenduntibus, ut sanctam sanctae Virginis conceptionem tantum libenter, quam reverenter admittunt, seduloque complectantur.* Et rursus: *De scholis catholicis nihil attinet dicere, quae, ut iam pridem suspicium, sic libenter etiam imitantur theologos gymnasii Parisiensis, quos quidem in Europa tot iam saeculis maxime spectabiles, et doctorum ubique sermone praedicatos, commendatosque videmus: exlat autem decretum scholae Parisiensis, quod planissime fateatur, quod Mater Dei Maria per nullum instans, etel momentum originali culpae subiecta, sed specialis privilegio ab omnium peccatorum macula immunitas fuerit praeservata. Cuius decreti observandi Parisienses tanto studio, tantaque religione tenentur, ut in ordinem theologorum cooptari neminem sistant, nisi sancte iurantem, se in asserenda Virginis matris conceptione illibatae constanter perseveraturum: nec solum apud Gallos, sed etiam in Hispania, et utraque Germania (1): haec ille. Tantum autem valet, tantique ponderis, et auctoritatis est Ecclesiae consuetudo, ut d. Thomas (2. 2. q. 110. art. 12) haec verba proferat: *Dicendum**

(1) in Almo Theologorum Collegio Neapolitanae studiorum Universitatis a prisca usque temporibus semper haec viguit lex, ut scilicet nemo magistris gradum obtinere posset, quin prius iuraretur, quod adstrigere ad veritatem immaculatae conceptionis Deiparae in primo instanti defendendam, etiam cum sanguinis effusione, si opus fuisset.

est, quod maximam habet auctoritatem Ecclesiae consuetudo, quae est in omnibus emulanda, quia et ipsa doctrina catholicorum doctorum ab Ecclesia auctoritatem habet; unde magis standum est auctoritati Ecclesiae, quam Augustini, vel Hieronymi, vel cuiuscunque doctoris: quod idem repetit in Quolibeto 2. art. 7. Quare concludo, cum Ecclesia catholica adeo propendat in immaculatam Virginis conceptionem, veraque sit regula illa monastica, et a sanctis Patribus approbata, de ratione perfectae obedientiae esse, non solum obedire praefato in rebus praecipis, sed in illis etiam, quas insinuat, et in quas magis propendere noscitur, rem sane Ecclesiae catholicae valde gratam, et perfectae obedientiae conformem, fideles facturos, si immaculatam conceptionem, quam illa adeo insinuat, et in quam tantopere propendit, ipsi firmiter adhaereant, licet alias oppositum tenere permitat, nec eos damnet: sicut nec nos hac tempestate damnamus, aut alicuius levis peccati reos esse dicimus.

§. IV.

EX MIRACULIS, ET REVELATIONIBUS
VALDE AUTHENTICIS

Reddens rationem d. Gregorius (in homil. quaedam super Lucam), quare Christus Dominus ad fidem suam stabilendam miracula induxerit, inquit: Quia carnales adhuc discipuli nullo modo valebant copere verba mysterii, renitit ad miracula: sic in proposito, quia multi vacillant, alii increduli sunt circa immaculatam Virginis conceptionem, oportet ad miracula venire; quae cum a Deo fieri non possint in testimonio falsitatis, reliquum esse fateamur, veram esse sententiam asserentem beatam Virginis conceptionem sanctam, et immaculatam fuisse, cum in eius attestacionem innumera patrata sint miracula. Imprimis ergo possem in medium producere omnia illa, quae refert d. Anselmus (in epist. ad Episcopos Angliae) de celebranda conceptione b. Virginis: brevitalis tamen causa solum referam duo; alterum de Haelsino abbate Rhemesiense, qui cum in mediis Oceani fluctibus valde anxietate, apparuit ei angelus de coelo, iubens illi celebrare conceptionem b. Virginis; quod cum facere polliceretur, sedata tempestate, salvus factus est, cum omnibus secum navigantibus. Alterum vero miraculum refert idem d. Anselmus ibidem de quodam levita regis Ungariae germano, quod de nuptiis immaculata Virgo revocans admonuit celebrare, celebrandamque praedicare suam immaculatam conceptionem.

Insignis etiam doctor Ioannes Americus in sermone Conceptionis, quem coram sacro Concilio Tridentino habuit, refert, plures concionatores in graves morbos incidisse, alios mortem obisse, propterea quod contra immaculatam Virginis conceptionem concionati fuerant. Illuminatus doctor Franciscus de Mayronis (in serm. de concept. Virginis) refert quod cuidam magistro volenti publicam concionem habere contra immaculatam Virginis conceptionem, ipsa Virgo apparuit, dicens: O magister, quid ego unquam tibi feci, quia hoc mane vis contra

meum honorem praedicare? quo audito ille revocans sententiam, immaculatam Virginis conceptionem Parisiensi civitati praedicavit. Pelbartus in Stellario lib. 4. par. 2. art. 3. refert, quod quidam frater ex nostro Ordine, cum, postquam concionem habuerat ad populum Tholosae contra immaculatam Virginis conceptionem, accederet ad celebrandam missam in altari s. Michaelis, ubi pulchra erat imago b. Virginis, in lapide sculpta marmoreo, illa velut ira percita vultum suum retro convertit; in cuius rei memoriam usque in hodiernum diem in nostro conventu Tholosano facie retro conversa perseverat illa imago, quo miraculo stupefactus frater ille, et coecus factus, continuo volum emisit revocandi quae dixerat, et ex Virginis clementia sanatus est. Eruuditissimus etiam doctor Bernardinus de Busto (ser. 7. de Concept.) refert d. Thomam Aquinatem, admiranti episcopo Fantino Patavii Praesuli, quod ille docuisset, b. Virginem conceptam in originali, ei apparuisse in hunc modum loquentem: Scias Episcopo, quod quando talem opinionem posuit, solum habui respectum ad deinum statutum, quo b. Virgo peccatum originale contrahere debuerat, nisi per Filium suum fuisset praeservata; sed Dei Filium matrem suam ab originali macula praeservavit: haec s. Thomas, et ibidem subdit: Haec omnia vicarius ipsius Episcopi fidelissime exposuit, asserens se a praenominato d. Episcopo hanc visionem propriis auribus audivisse. Irrefragabilis etiam noster doctor Alexander de Ales (in libro, quem de Beatae Virginis conceptione edidit, qui modo extat catenis alligatus Tholosae in choro ecclesiae cathedralis) narrat miraculum, quod sibi ipsi contigit, per quod primo inductus fuit ad defendendam immaculatam Virginis conceptionem: nam cum saecularis existens, illam acriter impugnasset, gravique morbo correptus esset, volum emisit de ea deinceps defendenda, et subito ad pristinam sanitatem restitutus fuit, exindeque acerrimus immaculatae conceptionis propugnator factus fuit. Orosius item in epist. ad Heliodorum ait: Coram Deo nosci, et veritate comperi, quod nulla mulier in partu periclitatur, super quam decore Mariae gratia imploratur, et dies eius conceptionis celebratur. Haec ille. Novit etiam universa nostra Hispania, quod cum serenissimus rex catholicus per multos annos adlaborasset pro capiendi inclyta, et inexplugnabili urbe Granatensi, tandem ad praeissimam Virginis adiutorium confugiens, devote vovit cum serenissima consorte sua regina, si eis de praedicta urbe victoriam praesalerat, primum illius civitatis templum in honorem sae immaculatae conceptionis consecrandum: quo emissio voto, gloriosam ab inimicis victoriam reportarunt. Tandem, tam innumera, et aequae praecelara in huius veritatis confirmatione miracula extant, ut iure optimo mihi usurpare possim illud Ovidii (De remed. amor. 2):

Quid moror exemplis, quorum me turba fatigat?

Quare, ne et ego legenti fastidium ingeram, et quia apud d. Anselmum, et alios probatos

auctores, facile ea videri possunt, omnibus suspensedeo, ad revelationes divinitus factas me convertens. Sane, praeter tres revelationes, quas insignis theologus Marsilius refert (in 2. q. 30. et in 3. q. 1) easque miraculis confirmatas asseverat, extat celebris revelatio b. Birgittae, quae reperitur in lib. Revelationum illius a Sede Apostolica approbato; ibi enim (lib. 6. c. 49) Deipara Virgo beatam Birgittam alloquens haec protulit verba: Veritas est, quod ego concepta fui sine peccato originali; et subdit: Scito, quod conceptio mea non omnibus nota fuit, quia voluit Deus, quod sicut ante legem scriptum praecessit lex naturalis, et electio voluntaria boni, et mali, et postea veniret lex scripta, quae cohiberet omnes inordinatos motus; sic placuit Deo, quod amici sui pie dubitarent de conceptione mea; et quilibet ostenderet zelum suum, donec veritas claresceret in tempore praedictum.

§ V.

EX SANCTIS PATRIBUS, ET GRAVISSIMIS ECCLESIAE DOCTORIBUS, TAM ANTIQVIORIBUS, QUAM RECENTIORIBUS, TAM MYSTICIS, QUAM SCHOLASTICIS.

Ne quispiam mihi dicat, neminem ex sanctis Patribus docuisse, Virginis conceptionem immaculatam, gravissima eorum testimonia statim subiciam, quibus apertissime constat, magnam partem sanctorum Patrum huic sententiae subscripsisse: unde existimo id procul dubio, quod olim filiis Israel contra Aegyptios accidit, nobis contra oppugnatores illibatae Mariae conceptionis evenisse: nam sicut ex eodem flumine, ex quo Israelitae aquam puram, et claram deducebant, ex eodem sanguinolentam, et impuram Aegyptii hauriebant (Exod. 7); ita ex doctrina sanctorum Patrum, et ex quo beatam Virginis conceptionem puram, claram, et immaculatam colligimus, ipsi impuram, fenebrosam, et maculatam colligunt. Verum s. Iob subaudiens, dum ait (Iob 18): Interroga enim generationem pristinam, et diligenter investiga patrum memoriam: hesterni quippe sumus, et ignoramus, quoniam sicut umbra dies nostri sunt. Ipsi docebunt te, loquentur tibi, et de corde suo proferent eloquia: placet antiquiores Patres, ac celeberrimos Ecclesiae Doctores, tamquam testes omni exceptione maiores, interrogare, quid de conceptione b. Virginis sentiant. Inter hos primum locum tenet s. Andreas Aposolus, quem Abdias babilonicus (lib. 4. saepe historiae) refert dixisse: Sicut de immaculata terra, ita ex semper immaculata Virgine formatus fuit secundus Adam: quae verba proconsuli Egeae dixisse narrat presbyteri Achaiae in lib. de passione s. Andreae, ut refert Card. Bellarminus (lib. 4. de statu peccati cap. 15), et tradit Canisius (lib. 1. de Deipara c. 7), qui et similia adducit ex d. Dominico Praedicatorum Ordinis Patriarcha in libro de corpore Christi: ubi ait: Sicut primus Adam fuit ex terra virgine, et nunquam maledicta formatus, ita deuscut in secundo Adam fieri. Testis huius veritatis est d. August. (lib. 1. de nat. et grat. c. 36)

acerrimus Marianae puritatis propugnator, qui non uno, sed pluribus in locis immaculatam eius conceptionem docuit: nam in primis, ut ab eo testimonio, quod in ere omnium versatur, exordiar, dixit: Excepta sancta Virgine Maria, de qua propter honorem Domini nullam prorsus, cum de peccatis agitur, volo habere quaestionem. Nec valet evadere dicentium, d. Augustinum in praedictis verbis solum loqui de peccato actuali, non de originali: nam certe, si de solo actuali loqueretur, non solum Virgo, sed et innocentes excipienda essent, et parvuli baptizati: nec dici ulla ratione potest ibi solum agere de adultis, cum certe ibi de omni peccato agat, et praecipue originali, ut contra Pelagium probaret neminem esse sine peccato, etiam infantes: et ibidem subiungit, omnes sanctos, quotquot sunt in coelo, interrogatos, si aliquando fuissent peccato inquinati, responduros, habuisse peccatum; sed infantes innocentes non haberunt nisi originale: ergo manifestum est, ibi non loqui solum de actualibus peccatis. Deinde, quia d. Augustinus ait, se propter honorem Domini de sancta Virgine quaestionem habere nolle, cum de peccatis agitur: honor autem Domini non minus certe postulat, ut eius Mater careretur originali peccato, quam actuali, et veniali: ac tandem illa universalis Augustini verba, nullam volo habere quaestionem, non solum excludunt quaestionem de peccato veniali, quod levius est, sed praecipue quaestionem de originali, quod deterius esse sacrum Concilium Tridentinum (de pecc. originali) docuit, vocans illud mortem animae: hanc autem esse mentem d. Augustini, est expressa sententia d. Bernardi verba illa d. Augustini interpretantis serm. 4. super Salee Reginae de originali, et actuali peccato, eodemque modo intelligenda esse docent Illuminatus doctor (in 3. dist. 3. q. 2. art. 3), et card. Bellarminus (lib. 4. de statu peccati), ubi id multis rationibus eruditè confirmat; sed copiosius ante illum Episcopus Christopolitanus (in Paol. 43), cuius egregia verba, licet non pauca, hic adscribenda censui: Virginem (ait) Mariam fuisse praeservatam per gratiam ab omni peccato non solum actuali, et veniali, sed etiam originali, fuit de mente beati Augustini; pro cuius probatione est advertendum, quod cum Pelagiani negarent peccatum Adae cum suis damnatum, et onere fuisse in omnes posteros suos translatum; et negarent, nos omnes traxisse originale peccatum ex carne, et natura corrupta ipsius Adae; et asserent, quemlibet hominem ex virgine propriae naturae per solum liberum arbitrium absque speciali gratia Dei posse omne peccatum vitare, et divina praeccepta adimplere: tunc beatus Augustinus zelo catholicae fidei compulsus, inter ceteros tractatus, fecit libros de baptismo parvulorum contra Pelagianos; in quibus probat neminem esse liberum ab omni peccato, scilicet, actuali, aut veniali, aut originali, praeter unum solum Christum mediatorem, eo quod solus inter mortuos liber, non ex opere Adam conceptus, nec natas. Sed, cum postea Pelagius arguisset contra Augustinum, adducens, et memorans complures in veteri testamento, et novo, quos sacra Scriptura iustos appellat, sicut fuit

Abel, Enoch, Noe, Melchisedech, Abraham, Isaac, Jacob, Moyses, Iob, Iosue: ad hoc respondit Augustinus in libro de natura, et gratia, quod licet omnes illos appellet iustus sacra Scriptura ob ingentes virtutes, tamen aliquando fuerunt sub aliquo peccato actuali, aut originali; et si quando retulerunt peccata actualia, hoc non fuit ex propriis viribus, sed ex speciali gratia praecedente; sed cum rursus Pelagius memoraret Zachariam, et Simeonem, et Annam prophetissam, et Ioseph sponsum Virginis, et Ioannem Baptistam in utero sanctificatum, quos omnes Evangelica iustus commendat auctoritas, et sine peccato, et innocentes, de quibus dicitur in Apocalypsi, quod hi sunt, qui cum mulieribus non sunt coniugati, et sine macula sunt ante thronum Dei; ad hoc respondit Augustinus, quod omnes illi, licet per gratiam fuerint praeservati a peccato actuali, tamen non fuerunt absque omni peccato, saltem originali; sed cum tandem Pelagius memoraret Virginem Mariam matrem Christi, cui dictum est per Angelum: Gratia plena etc. ad hoc respondit Augustinus in eodem libro de natura, et gratia, quod haec Virgine excepta, si omnes supradicti, et omnes sancti, et sanctae congregari possent, et quereretur ab eis, an peccatum haberent, quid posset respondere, nisi quod Ioannes ait: si dixerimus, quoniam peccatum non habemus, ipsi nos seducimus, et veritas in nobis non est? Ex quibus patet, quod Augustinus asserit, Virginem Mariam non solum ab actuali, sed ab originali fuisse immunem: nam ipse comparat ipsam Iohanni Baptistae, qui nunquam peccavit actualiter, et incontinentibus, qui non solum non peccaverunt actualiter, sed nec venialiter. Comparat etiam eam omnibus sanctis, quorum quidam fuerunt similes innocentibus, et non habentibus nisi tantum originale, et dicit nullum illorum fuisse sine peccato praeter Virginem Mariam: ergo asserit ipsam immunem ab originali. Sed modum, per quem Maria fuit praeservata, exprimit Augustinus, cum subdit: Propter honorem Domini, cum de peccatis agitur de Virgine Maria, nullam prorsus intendam mentionem agere. Scimus enim tantum gratiae ad vincendum ex omni parte peccatum illi fuisse collatum, quod illum meruit parere, quem constat nullum habuisse peccatum: quibus verbis asserit Augustinus, quod Christus volens honorare Matrem, voluit ipsi conferre gratiam praeservantem ad vincendum ex omni parte peccatum, scilicet, tam a parte ante, originale, quam a parte post, actuale, et a dextris, et sinistris veniale, et per consequens fuit praeservata non per naturam, sed per gratiam ab omni peccato, quia omne peccatum vici: sed hoc magis confirmat Augustinus, et exprimit (in 1. serm. de nativitate eiusdem Virginis), ubi allegando illud verbum Angelus: gratia plena etc. dicit: Quid iustitiae, quid sanctitatis haec Virgo indigere potuit, quae effecit ad omnia gratiae plenitudinem accepit? aut quis unquam in eius anima, vel corpore locus potuit inveniri peccati, quae ad instar coeli continentis omnia, templum Domini est effecta? haec est domus, de qua per Salomonem dicitur: Sapientia aedificavit sibi domum: hanc profecto domum divina Sapientia aedificavit, de qua carne assumet, cui nullus patriarcharum, nul-

lus prophetarum est conferendus. Nec mirum, si haec Virgo puritate euctorum celatissimum transcendit mortalium, cum partu omnes excedat. Haec tam pie, quam eruditae Episcopus Christopholitanus.

Exstat etiam aliud insigne eiusdem d. Augustini testimonium (lib. 3. contra Iulianum cap. 6), ubi recte inferri patet, eum, qui caruit omni actuali culpa in adulta aetate, caruisse etiam originali in infantili: sic enim ait: Profecto peccatum etiam matris fuisset, si parvulum habuisset: nam propterea nullus est hominum, qui peccatum non fecerit grandioris aetatis accessu, quia nullus est hominum, qui peccatum non habuerit infantilis aetatis exordio: igitur, cum beata Virgo caruerit omni peccato actuali, ut palam docet d. Augustinus in praedicto loco, et omnes ex Tridentino (sess. 7. can. 23) ingenue fatentur, aperte efficitur, illum amplexum fuisse sententiam de immaculatae Virginis conceptione, nisi sibi ipsi aperte missim conradiceret. Item (in lib. cont. quinque haereses) aliud reperio celebre testimonium eiusdem, ubi in persona Christi loquens, ait: Si posuit inquinari, Manichaeae, cum ipsam facerem, potui et ego inquinari, cum ex ea nascerer. Deinde idem August. (in serm. de nativ. Virginis) ait: Magnifica illum, o Virgo beatissima, qui et ab omni peccato super omnes homines praeservavit; qui enim dicere poterit, sine peccato sum natus, aut mundus sum ab omni iniquitate, dicere audebit, nisi Virgo illa prudentissima, animatum templum Dei excoelsi, quam Deus sic elegit, et praeelegit ante mundi constitutionem, ut sancta, et immaculata mater Dei esset, et filia ab aeterno praeservata incorrupta ab omni labe peccati? haec ille. Nec potest dici, non loqui d. Augustinum de conceptione, sed de nativitate Virginis: nam certe in nativitate etiam sanctificatus in utero materno dicere potuisset, sine peccato sum natus: ergo cum negat d. Augustinus, id nullum dicere posse praeter Virginem, aperte constat loqui de conceptione, quae est prima nativitas, iuxta illud (Matth. 2): Quod enim in ea natum est, de Spiritu sancto est. Deinde super Genesim explicans verba illa (Gen. 3): Inimicitias ponam inter te, et mulierem, ipsa conteret caput tuum, sic ait: subiectio originalis peccati, caput est diaboli: ab millies d. Augustinus in sermonibus de beata Virgine repetit, illam contrivisse caput diaboli: ergo sensit caruisse peccato originali. In testem eiusdem veritatis produco divum Anselmum qui (lib. 1. de conceptu virginis c. 5) dixit: Ille asserit perveras veritatis, et a Filio tuo iam coelo praesidente, vas electionis cognominatus, omnes in Adam peccasse fatetur: vera utique sententia, et cui contradicere nefas esse pronuncio; sed cum eminentiam gratiae Dei in te considero, sicut te non intra omnia, quae facta sunt, inestimabili modo contueor, si nec lege aliorum in tua conceptione demerita fuisse opinor, singulari, et humano intellectui impenetrabili divinitatis virtute et operatione ab omni peccati adunctione libera. Idem etiam Anselmus (c. 6) ait: Adhuc propono tibi palatium, quod specialiter suis visibus apulum existat, construere volentem, in quo et ipse frequentiori, et festivo cursu conver-

setur, patreterne quaeso in principio palatii fundamentum inevalidum, et structurae, quae foret aedificanda, incongruum, et cohaerens? Non puto, si saperet, et propositum suum ad effectum perducere vellet: ergo sapientiam ante omnia saecula proposuisse sibi habitaculum, quod specialiter inhabitaret, construere, similiter indubitata fide tenemus. Quod autem habitaculum istud fuerit, iam dudum innotuit: hoc enim habitaculum, illud sacrarium Spiritus sancti esse fatemur, in quo, et per quod eadem Sapientia humanae naturae coniungi voluit, et incorporari, et omnibus se pura mente confitentibus parere, et misereri, quod sacrarium, aule videlicet universalis propitiationis, cum operante Spiritu sancto construeretur, si fundamentum illius, scilicet initium, sive primordium conceptionis beatae Mariae corruptum fuit, ipsi certe structurae non congruebat, nec cohaerebat: haec Anselmus. Et in eodem etiam capite ait: Inscitane fuit, et impotens sapientia Dei, et virtus, mundum sibi habitaculum condere, remota omni labe conditionis humanae? Angelis aliis peccantibus, bonos a peccato servavit, et foemina Matrem suam mox futuram, et ab aliorum peccatis immunem servare non valuit? In aeternitate consilii sui fixum statuit eum dominatricem, et reginam fore angelorum, et nunc inferiorem angelis natam, in consortium acceptam esse credamus omnium peccatorum? existimet hoc, et argumentis suis probe qui vult. Deinde capite novo ait: De Domina nostra, quam in tantum culmen praedestinauit, et exultu divina potentia; quam toto praerogative dotavit, cuncta disponens Dei Sapientia, quam sibi Matrem elegit ad mundo subveniendum, ipsam omnium salandorum ineffabili Dei misericordia, dicere morte peccati, quae per invidiam diaboli occupavit orbem terrarum, in suo conceptu praegravari, ut taceam interim ipsas, quas commemorari rationes, animus extitit, intentio abhorret, lingua fateri non audeat. Qui aliter sapienter et melius approbant, credant. Ego, pissima Domina, qualiscunque servulus credo, et fateor, quod tu ex radice Jesse pulcherrima, ac per hoc ab omni, quod te decolorat, peccati vulnere aliena, integerrima permanens, florem pretiosissimum protulisti, non qualemcumque, sed super quem septiformis Spiritus requiescit, haec ille. Ac tandem (c. 18) ait: Deum Virgine eam puritate nitere, qua maior sub Deo nequeat intelligi: posset autem intelligi maior, si fuisset concepta in originali. Et in epistola ad episcopos Galliae: Non puto, inquit, verum esse amatorem Virginis, qui celebrare respuit festum suae conceptionis. His non praetermittam aliud eiusdem Anselmi egregium testimonium adiungere. In commentario enim super 2. Corinth. (c. 5) ait: Omnes mortui sunt peccatis, nemine prorsus excepto, dempta Matre Dei, sive originalibus, sive voluntate additis, vel ignorando, vel sciendo; sed nec silentio praeterito aliud praecularum eiusdem d. Anselmi testimonium (l. 6. de conceptione beatae Mariae c. 1) quod et adducit Glossa ordinaria super Lugdunensium edita (super c. 9. Romanos 1): verba Anselmi sunt: Qui diem b. Mariae Conceptionis tollit Ecclesiae Dei, aut non attendit bene, aut attendere negligit, vel nescit bonum, quod inde procedit creaturae Dei, et pri-

mo, quia tanti meriti apud Deum creatura es, ut mater eius dignissima fieri meruisses, sicut et ipse, non tantum super castus, et mundus, sed et ipsa castitas, et ipsaque munditia est: ita tu quoque illum ipsam munditiam de tua carne verum hominem paritura eras, et munda praec omnibus esse deberas. Primordia itaque creationis tuae merito filii sanctae Ecclesiae debent venerari, si castam, si sanctam, si a peccati ruga illam credunt esse discretam: quod, cum aliter credere nulli fas sit, erubescant insensati, qui tantum diem, tantaque mysteria, et sacramenta tenebris ignorantiae caecacati respunt celebrare etc. His adiungo eundem Anselmum (in epist. ad Comagenas Episcopos), in qua ait: Quisquis praesul, aut abbas es, recede diligenter festum conceptionis Mariae, et a cunctis tunc cum diligeret colli, qui a toto corde eam amaveris, namquam de tuo gradu cum confusione deponeris. His adnectamus breviora alia, clarissima tamen, prescorum Patrum testimonia. S. Basilius Seleuciensis archiepiscopus (serm. de annunciatione) postquam dixerat: Quid dulcius, fratres charissimi, quid iucundius, quid salubrius, quid felicis, quam de b. Virgine loqui, de Virgine cogitare? subdit haec verba: Haec est, quae fuit in utero matris absque originali peccato concepta, et generata, ab omni maritali vitio segregata, omni vitio veniali peccato privata, et in cunctis accepta, et moribus Spiritus sancti gratia plena, et foecunda. S. Athanasius (epistola ad Epictetum): Idcirco, inquit, gratia plena cognominata est, eo quod adimpletionem Spiritus sancti omnibus gratiis abundaret, et virtute Altissimi concepta, et virtutem per omnia tempora obtineret etiam habuisse confido: neque enim id temporarium in Virgine accidisse opinor, sed per omnia tempora hoc illi datum fuisse. D. Hildesphus archiepiscopus Tolotanus (lib. de perpetua virginitate Mariae paulo post principium) ait: Quia nativitas Mariae tam sollemniter colitur, constat ex auctoritate Ecclesiae, quod nullis, quando nata est, subiacuit delictis, nec contraxit in utero sanctificata originale peccatum. Idem (de parto, et purificatione serm. 2) inquit: In qua claustrum pudoris integrum permansit, nulla descriptio intervenit, nulla venatio carnis, nulla foeditas divae conditionis, in qua vexilla virtutum micarunt, nullum peccatum primo originis vitio. Cyrillus (lib. 6. in Ioannem cap. 15) ait: Omnes homines, excepto illo, qui de Virgine natus est, et sacratissima etiam Virgine, ex qua Deus homo prodit in mundum, excepta, cum peccato originali nascitur. Nec potest dici, d. Cyrillum hic loqui de nativitate Virginis, non de conceptione: nam si non sumeret verbum illud, nascitur, pro eo, quod est, concipitur, falsa, et erronea redderet eius assertio, cum alii, praeter Christum, et Virginem natii fuerint sine peccato originali, ut Ieremias, et Ioannes Baptista, qui fuerunt sanctificati in utero materno. Idiota (libro contemplationum de Virgine cap. 2): Tota pulchra est in tua conceptione, ad hoc solum effecta, ut templum esses Dei altissimi. Origenes (hom. 1. in dicitosus): Audite, qui dicitis, omnes filii Evae, audite omnes vos qui haereditatem doloris, et tri-

stilitate post illam, et ex illius condemnatione suspensus, audit quod Virgo in utero accipiet, non ex desiderio partum concipiens, quae neque persuasione serpentis decepta est, nec eius offitibus venenosus infecta. Germanus Constantinopolitanae de adoratione venerandae Zonae Deiparae (cap. 1) vocat Mariam nulli peccati culpae affinem. Sanctus Dominicus, praedicatorum Ordinis celeberrimus patriarcha, tract. de corpore Christi, ut refertur in thesauro catholico Coloniae edito 1599. ait: Sicut primus Adam fuit ex terra Virgine, et nunquam maledicta formatus, ita deicit in secundo Adam fieri, scilicet Christo, cuius terra, id est, mater virgo, nunquam fuit maledicta. S. Fulbertus Carnotensis episcopus ante quingentos annos Mariam saluavit in hunc modum: Ave Maria, electa, et insignis inter filias, quae immaculata semper extitisti ab exordio tuae creationis, quia paritura es creatorem totius sanctitatis. D. Damasenus (orat. 1. de Nativ. Virginis) haec egregia verba habet: Natura gratiam antecessere causa non est, sed tantisper expectavit, dum gratia fructum suum produxisset. O beatos loachimi lambos, ac quibus immaculatum semen efflavit. O sanctissima, quae principatus, et potestates fefellit, immaculata conservata in Dei sponsam! bene quidem ait, fefellit principatus et potestates, quia putabant illi dominari, et principari mediante originali macula: at ipsa immaculata procedente, decepti, et confusi remanserunt. Exstat etiam eiusdem Damasceni martyrologium, in quo dies conceptionis Mariae notatur, hoc expresse addito, quod illa ante conceptionem pura dicatur, ut Canisius tradit, et ante illum nostra Galatinus (lib. 7. de Arcanis). D. Cyprinus similiter (serm. de Nativitate) ait: Non sustinebat iustitia, ut illud vas electionis communibus laxaretur iniuriis; quoniam plurimum a ceteris differens, natura communicabat, non culpa. Accedit ad haec illustrissimum d. Cyrilli Alexandrini patriarchae testimonium (lib. contra Nestorium), ubi ait: Propter Filium temerarium est in Maria Virgine ponere culpam aliquam, vel peccatum; capropter ipsa gloriosa Dei Genitrix, sicut ego scripsi in epistola ad summum Pontificem Sixtum IV.

Laudatur patrio nunquam foedata cretore,
Cerebere nunquam subiactuisse iugo.

Noster s. Bernardinus Senensis beatae Virginis familiarissimus (tom. 1. ser. 53) disertis verbis immaculatam Virginis conceptionem docet: Virgo, inquit, Maria sine tyranno conceptentiae peccati originalis fuit, quia sine eo concepta est: et (serm. 48. tomo 4): magis pium est credere, quod non fuerit in peccato concepta, quam credere, quod sit. D. Hieron. (serm. ad Eustochium): Nulli dubium est de matre Domini, quin talis debuerit esse, quae non posset argui de peccato; et in illud Psalmi 77. Educit eos in nube diei, per nubem intelligit Virginem, quam diei vocari diei nubem, quia nunquam fuit in tenebris, sed semper in luce; et d. Maximus (serm. Assumptionis sanctae Mariae), qui incipit, Cum aliquod dilectissimi, sic ait: Ductor mortis diabolus, per cuius incidium mors introivit in orbem terrarum,

omne humanum genus in primo parente veneno nequitiae suae putavit, quasi arborem in radice, antequam proles propaginis prodiret, vitavit. Inde est, quod radix vitata quotidie frondet, frondesque eius indesinenter per mortem marcescunt, et saepe contingit, quod aurum fulgens reperitur in luto, et ex pugnente spina pulchre rubens oritur rosa. Hoc enim operante providentia divina, ex radice vitata sine vitio prodidit virga, quae intelligitur beatissima Virgo Maria, attestante Isaiam, qui dicit (cap. 11): Eyredietur virga de radice Jesse, et flos de radice eius ascendet. Adde d. Bernardum, qui eidem sententiae consentit: nam praelerquam (epist. 174) de beata Virgine loquens ait: Absit ut proprii quidquam inquinamenti haec habuisse aliquando dicatur; constat autem, non solum peccatum actuale, sed et originale esse proprium cuiusque inquinamentum, sicut et univocum suum proprium peccatum inest, ut Conc. Trident. (decr. de pecc. orig.) definit: praefer haec (inquam) est alius insignis locus eiusdem d. Bernardi (serm. 4. in Cant. Salve Regina) ait: Tu nasus Ecclesiae, similis turri celsae, videlicet dignitate, firma gravitate turris Libani. Libanus mons quidem dicitur deabito, altam praenubens signat innocentiam tuam: innocens fuit ab originalibus et actualibus peccatis; nemo ita praeter te: et ibidem refertur, d. Augustinum dixisse, b. Virginem collatam fuisse virtutem ad vincendum ex omni parte peccatum, ipse haec interpretationem mox adiunxit: ex omni, inquit, parte, hoc est ex parte actualis peccati: quid quaeso clarius dicere potuisset? Quod si Lugdunenses canonicos reprehendit, quod conceptionem Virginis celebrarent, eo certe nomine id fecit, quod inconsulta esse Apostolica novum festivalis cultum introducerent. Quid tam quaeso illum dicturum, et facturum putamus, si tot ecclesiae cum romana nunc conuncta in celebranda Virginis conceptione uno consensu conspirasse videret, eum, et ibidem, ad egregiam sui animi indolem, ac singularem modestiam, haec verba subiungat: Quae autem dicit, absque praeiudicio dicta sunt, sanis sapientis, romanae praesertim ecclesiae auctoritati, atque examini, sicut, et cetera, quae huiusmodi sunt, universa reseruo, ipsis, si quid aliter sapio, paratus iudicio emendare. Adsupulatur deinde eidem sententiae s. Vincentius Ferrerius celebris Hispaniae praedicator (ser. 2. de Nativ.), ubi aptius beatae Virginis verba illa Genesis, fiat lux, ut ostenderet, Virginem nunquam fuisse in tenebris, subdit: Non credas, quia fuerit, sicut in nobis, qui in peccato concipimur, sed statim ac anima fiat creata, fuit sanctificata, et statim angeli in coelo celebraverunt festum Conceptionis. B. Petrus Damian. ser. de assumpt. Virg.) Caro, inquit, Virginis ex Adam sumpta, maculus Adae non admisit. Nec minus luculenter idipsum non semel docuit Praesul ille insignis, b. Laurentius Iustin. dum ait: Ab ipsa sui conceptione in benedictionibus est praeventa dulcedinis, atque a damnationis aliena chyrographo: nec multo post: Erat plane a supercollatione immunis, ita et ab omni peccati luce extranea: tum lib. de casto conubio Verbi, et animae: Haec est originalis poena delicti

a qua nemo, quameis eximia polleat sanctitate, liber existit: quolquod enim ex ipsa nati sunt propagine, excepto dumtaxat mediator Dei, et hominum, homine Christo Iesu, et ipsius Matre, sub hac peccati lege sunt conditi: unde Propheta vice omnium gemens ait (Ps. 50): Ecce in iniquitatibus conceptus sum, ac rursus (in Ps. 50. in fascic. amo. c. 7): Nemo ab ipso mundi initio usque ad temporis plenitudinem, dumtaxat Mediatore, eiusque Genitrice exceptis, iugum damnationis evasit. Demum in opere, quod ante mortem postremum scripsit: Ab hoc quippe originali peccato, inquit, nullus excipitur, praeter illam, quae genuit mundi Salvatorem. Tam aperte, tam constanter suam ille sententiam profiteatur, et ego nesciam, quid pro Mariae immaculatae conceptione dici opportunius, ac vehementius queat. Ivo Carnotensis, vir sua aetate insignis, (serm. de Nativ. Domini), eandem illibatam Virginis conceptionem amplectitur, dum ait: Quomodo Matrem carnis suae Dominus sanctificaverit, audiamus, ut inde laetetur catholicus, immundus confundatur haereticus: omne quippe aevum tam originalis, quam actualis culpae in ea delevit, sique carnem de carne eius sumens, in eandem munditiam divinam transformavit: haec ille. Nec potest dici, quod verbum illud, delevit, praesupponat potius in Virgine praefuisse peccatum, quod deleteretur; hoc, inquam, stare non potest, cum idipsum dicat de actuali, scilicet, quod delevit illud; quod tamen constat non infuisse Virgini: idem ergo vobis laet, delevit, ac propulsavit, cavens, ne beata Virgo in illud incurreret. His consonant quae lego apud Cardinalem Cusanum doctrina, et sapientia sui saeculi summum; sic enim ait: Etsi ipsa concepta fuit ex virili semine via propagationis ab Adam, et quantum ad suum initium indiget liberatore, quia in Adam, nisi liberentur, qui praeserentur, omnes moriuntur, et ut in Christo, omnes, qui vivificantur, vivificantur; tamen sicut anima eius rationalis nullo tempore fuit, antequam esset corpori unita, ita ipsa, dum crearetur, sancta creata fuit; sic etiam, quod nulla duratione fuit verum dicere, Virginem fuisse sub peccato: et lib. 8: Hoc cedit, inquit, ad laudem Dei, et Virginis Mariae matris, quod ipsa sub principatum auctoris nulli nullo unquam tempore fuit, in qua vita debuit incarnari: et infra subdit: Nec indiget liberatore a servitute, in qua nunquam fuit: praeliberatorem enim Virgo sancta habuit, ceteri liberatorem, et postliberatorem; Christus enim sic omnium liberator, quod et Virginis liberator, et praeliberator, ceterorum vero liberator, et postliberator. Ipsa sola post Adae lapsum non indiga, sed plena originali iustitia, ut Eva, et multo magis: sola ipsa electissima Dei Mater hoc habet, quod in initio essendi sub nequitia maligni defecere nequivit, puta, quod in creatione rationalis animae in corpore, et separatione a corpore in potestate maligni nunquam fuit. Sola igitur gloriosissima Virgo non reperitur tempore ullo peccato originali subiactuisse: haec ille tam pie, quam crudite. Sed et verba Gersonis cancellarii Parisiensis (tract. 4. super Magnif.) huic argumento valde inserviunt, dum ait: In Maria fuit necessitas originale peccatum contrahendi se-

cundum causas inferiores; nempe secundum legem propagationis ex coniunctione viri cum foemina; lex autem superior praedictavit huic necessitati; praevencendo casum per sanctificationem, et gratiam: sicut etiam dicit in alio casu s. Thomas de occurrencebus tempore iudicii obviari Christo in aera, quod si non moriantur, hoc non est secundum causas inferiores, quibus habebant necessitatem moriendi; nec est contra Apostolum dicentem: statutum est hominibus semel mori, deinde iudicium; quia privilegium superioris hoc suspendit: non secus est in proposito de Maria a necessitate contrahendi originale peccatum praeventa, et contrahenda: haec ille. Quibus consonant carmina illa clarissimi poetae Baptistae Mantuani, quae adingerem non pigebit. Hic b. Virginis conceptioni immaculatae favens ait:

Sunt tamen audientes contra sentire: nec illos Incausam: habent quae se tuentur; et olim Ista hominum communis erat sententia: verum Jam senio exangui frigens sua robor sensim Perdit, et amissa iam maiore recedit Sponte sua, creditque novo Latonia Phaebo.

Quam autem sententiam ipse amplecteretur, his, quae sequuntur eruditissimis, atque elegantissimis carminibus non obscure prodidit:

Sed prior (ut vobis aequum sentire videretur) Dignior est, et grata magis Nato, atque Parenti: Nam legi assurgens, Mariae deus addit, omnisque Materiam dignam attribuit pietate Tonanti. Adde, quod et multis ferit adimentis, fideique Roborat iustitiam: nam nec venisse sub alvum Sordis laborantem tali sublimia coeli Numina nonnulli ingenio praestante putantur. Religio mater, pietas amosior istam Consummata fides, legumque peritiae fecit, Altera verborum textum, et fastigia tantum Summa vides, abstrusa Dei mysteria nescit; Quod si syderei tauro splendoris honore Fulget, ut aeterno qui temperat ordine mundum Gestavit gremio, laetaverit ubere dulci. Strinxerit amplexu, summoque vocari olympo: Quare illam in nostras opus est detruere sordes, Et turpi infestare luto, mortalibus aequas, Cui Paler aethereus mentem subleat, et astra per-

Subscribit ille nomine tenus Idiota, rer lamen nullo dissentiente sapientissimus lib. Contemplationum cap. 2. Tota pulchra es Virgo gloriosissima, non in parte, sed in toto: et macula peccati, sine mortalis, sine originalis non est in te, nec unquam fuit, nec erit, sed adest tibi omnis gratia naturalium bonorum, spiritualium charismatum et caelestium donorum. Sedulius etiam consentit, canens (l. mirabilium dictionum):

Et velut e spinis mollis rosa surgit actus,
Nil quod laedat habens, matrisque obscurat honorem.

Adiungit potest etiam Aratus (lib. 1. in Acta Apostolorum) dicens:

A nato formata suo; mala criminis Evae
Virgo secunda fugat.

Et Glossa ordinaria Lugduni edita anno 1559
10

(super epist. ad Rom. cap. 3.) ait: *Beatissima Virgo Deipara Maria praesertim fuit a peccato originali. Silentio praetero vulgatum illam sententiam, quae d. Ambrosio tribui solet (ser. 22. in Ps. 118): In qua nec nodus originalis, nec cortex venialis peccati fuit; quia neque in serm. de Gabaonitis, nec in illud Isaiae cap. 11. in quibus eadem sententia citari solet, verba haec reperio: testimonia tamen duorum gravissimorum theologorum, quorum tractatus de immaculata Virginis conceptione multis retro annis excusi, nunc ad manus nostras venerunt, lamelsi non pauca, his adnectere non gravabor.*

Celebris ille Ioannes Taulerus (serm. in festo purificationis gloriosissimae Mariae) dicit: *Culpae originalis perpetuo expers fuit, a qua praeservavit illam Filius eius, ita ut ne momento quidem temporis, vel traxe filia, vel vas imundum, vel diabolo, sicut nos alii omnes, subiecta dominio fuerit: praeventit enim eum Sapientia aeterna nolens electissimum templum suum aliqua labe aspergi.*

Ambrosius Catherinus Episcopus Politanus ex Ordine praedicatorum assumptus (ad cap. 3. epist. ad Rom.), sic loquitur: *Sermonem suum ita temperavit Apostolus, ut nihil prorsus adferat praedicti auctoris veritatem illam, quam de immaculata Virginis conceptione una cum Ecclesia sancta tenemus, nec verbis eius, si recte intelligantur, valeamus argui: dicit enim b. Paulus peccatum intrasse in mundum, nos autem dicimus, haec mundi appellatione non comprehendit illam beatam Virginem iuxta intellectum Scripturarum, in quibus frequentissime vox ista (mundus) significat, gratia Dei vacuus; unde Dominus de discipulis ait: mundus odio eos habuit, quia non sunt de mundo, sicut et ego non sum de mundo: quod ergo dedit discipulis, ex tempore ut eos de mundo subduceret, hoc non dedit dilectissimae matri suae ac sponsae, hoc non dedit dilectissimae matri suae ac sponsae, ut nunquam cum his ab initio creationis illius qui essent de mundo, computaretur? Nec illud obstat quod addunt, peccatum, et mors pari passu incedunt; nam non est huiusmodi ordo in Apostolo, in quem mors intravit, in eum quoque intravisse peccatum, sed e converso, in quem peccatum, in eum et mors, alioquin et Christus mortuus est, et tamen non intravit in eum peccatum.*

Iacobus Genuesis (serm. 3. de Assumpt.) dicit: *Non habuit admixtionem originalis, quia fuit in utero a Spiritu sancto sanctificatus; nec etiam habuit admixtionem mortalis, quia fuit a Patris potentia confirmata; nec etiam habuit admixtionem venialis, quia fuit a puritate Filii impregnat.*

Insignis ac vetustus auctor Petrus Commellor (lib. de immac. Virg. concept.), quem mirifice commendat Trithemius de ecclesiast. scripturis, in pererrando libello de immaculata Virginis conceptione Antuerpiae excuso in hunc modum loquitur: *Quid est: Gloriosa dicta sunt de te Civitas Dei (Psal. 86), si nostrae infirmitati similia dicuntur, quae magis pudenda, quam gloriosa dici poterunt? Oportuit ergo eam ab ipso fundamenti primordio praee ceteris aliquid dignitatis sortiri privilegium, quae secretorum Dei, mysteriorumque coelestium in se suscipitura erat arcanum. Hanc namque domum fundavit Altissimus, et edificavit Sapientia, de qua, quia*

aliter sentire non audeo, aliud dicere non praesumo. Scio in Marianam vix visisse gratiam, quam naturam. Audio ab angelo, plenam gratiam (Luc. 1), non inventio plenam naturam: certe plus est gratia, quam natura. Male conservat naturam, qui offendit gratiam. Imprudenter defendit naturam, qui impugnat naturae conditorem. Numquid infra terminos nostros coarctanda est Dei sapientia? In omnibus invenit requiem Dei mater (Eccles. 24), et invenit; in conceptione quaerit, et non invenit? Potuit certe, quisquis es, potuit Creator naturae, cui deserit omnis creatura, de luto naturae nostrae auream urnam producere, quae haberet in se conditum manna coelestis gratiae. Numquid aurum minus est aurum, quia in luto jacuit, aut quia a terra defossus, per minutissima grana eruitur, idcirco minus habet splendoris, aut minori aestimatur pretio? Et nonnullis interiectis inquit: Attende et obaudi; quod testimonium habe fundamentum dederit prophetarum cunctis: Homo natus est in ea, et ipse fundavit eam Altissimus (Psal. 86). Intellige quod ait: Ipse fundavit eam, ipse, non alius, non vetus Adam, sed novus, novum iacuit fundamentum, super quod tam praclarum, tam insigne surget aedificium. Alioquin si veteris ruinae mansere vestigia, si veteri superaedificatum est, vetus Adam, et non ipse fundavit eam Altissimus. Quod enim fundatur, non ab alio, sed a se ipso materialiter inchoat. Certe si recenses, si non esset insolitum, propheta tantae novitatis miraculum obstupescens non exclamaret dicens: Numquid Sion dicit, homo et homo natus, etc.? Ac tandem concludit haec verba subiciens: Dicit ergo, dicit Ecclesia: salve festa dies, salve dies veneranda conceptionis, in qua initium est sacramentum nostrae redemptionis, per quam extinet ea frama versatilis, et aperta ianua nostrae salutis. Gaudet, oro, omnis terra in conceptione tantae virginis, in cuius medio salutem operari dignatus est Deus.

Eruditissimus Ludovicus Carvaialis in praecedenti illa exclamatione pro immaculata conceptione Parisiis edita anno 1541, b. Virginem in hunc modum loquentem per prosopopeiam introducit: Num frustra dictum est: ubi abundavit delictum, superabundavit et gratia? Abundavit sane delictum primi hominis in filios ab eo, eiusque posteris propagandos, sed secundi hominis, hoc est, Filii mei gratia superabundavit, dum me alioqui casuram, ab alius crimine fecit immunem. Qui fieri potest, ut gratia superabundet, si tempore necessitatis non subveniat? Nonne delictum praevencitioris in me superabundaret, si medicina redemptoris non praevenerit? Quid si huiusmodi gratia non extenditur ad reliquos mortalium foetus, ne lata lex de morte Adam, et filiorum eius abrogaretur, hoc est, de peccati originalis mundaione, saltem hoc mihi concedatur, quae sola sum Mater Dei, ut in me sola Filii mei gratia praeservans superabundet: cui, ut Hieronymus recte dicit, tota se infudit gratiae plenitudo. Quasi cunctis rebus aquarum voraginibus obolitum, arca Noe non fuerit sola super aquas electa. Arca illa, in qua erant animalia munda, et inmundum, sic fuit sublimate, ut eam aquarum fluctus non lederent: et ego, quae sum receptaculum Spiritus

sancti, et uteris pudoris, ac innocentiae, eram cataclismo peccati absorbenda? Nonne lata lege de capitis disiramine in eos, qui aulam Assueri intrarent non vocati, fuit Esther sola, pro qua haec constituta non est? Rex ille prophanus sceptrum aureum super caput mulierculae in signum clementiae tetendit, et pater misericordiarum in me reginam colorum, quam ipse in suam aulam, ut esset mater, ac sponsa, ab aeterno vocaverat, non potuit misericordiae suae sceptrum extendere? Quid audio? Num potentiam Dei attenuatis? an clementiam? an utrumque?

Idem in capite 21. dicit: Si qui Virginem in originali conceptam opinantur, videant illud Augustini in Julianum. Si Christus, inquit, parvulus existens peccatum habuisset, postea adultus actuali crimine non caruisset. Vos ergo compello, qui illam contenditis fuisse conceptam. Num mihi actuale peccatum datis? An ipsa, quae et sponsa Christi, domicilium Spiritus sancti, et arca Sethin intus, et foris deaurata, fuit alteri lucida, Deo inimica, et spurcissimi peccati contaminata? hoc nemo eorum, qui de Filii mei honore bene sentiunt, dicere audebit. Illud satis mirandum, quomodo isti non audeant in ea ponere peccatum veniale, quod a Christo non separatur, ne in ea sit conventio Christi ad Belial; imponent tamen capitale crimen originis, quod suapte natura a Christo divellit, et diaboli mactipium facit: si peccatum veniale esse causa, ut conveniret Christus cum Belial, nonne si illa habuisset peccatum originale, quod est capitale, esset fortior causa in ea, ut Christus conveniret cum Belial? Non fert Christus in ea peccatum personae, quam non assumpsit, et ferret peccatum naturae, quam in ea assumpsit? Ergo si vultis, ut unus ad alterum non sit conventio, necesse vobis est, ut ab ea originalem culpam explodatis. Unde Augustinus (in ser. de As.) tanti Virginis incorruptionem aestimavit, ut de corpore hoc, quod aliquando mortale fuit, dicit: Illud sanctissimum corpus, de quo Christus carnem assumpsit, in quo divina naturam humanam univit, escam verbum traditum, quia sentire non valeo, dicere pertimesco. Videtis quam religiose de parte illa, quae in ea obiectior, Augustinus loquitur? Et tamen sancta est lex in omnia corpora mortalium, in qua dicitur: Pulvis es, et in pulverem reverteris (Gen. 3). Si contra legem ab ore Altissimi prolatum Augustinus memm corpus praeservat, nec audeo id dare escam verbum, cur vos animam meam, quae tanto est nobilior, datis escam diabolus? Si zelatis legis observantiam, nonne Augustinus zelotipus erat legis non violandae? Et tamen in me corporis honorem id loquitur, quod vos pusillanimitate cordis, ne aliud dicam, de animae meae salute non modo dicitis, sed bene dicentibus obstrepsitis.

Idem cap. 26. Profer tu Augustinum, quem facis chorificum eorum, qui in me scriperunt, et videtis quam sis verus: (et super Psalm.) Dices, inquit, Adam mortuus est propter peccatum: Maria mortua est propter peccatum: Christus mortuus est propter delenda peccata, quod colligit ex hoc sententiis? Augustinus non ait, me propter peccatum meum mortuum fuisse, sed propter peccatum, ut intelligas, primi hominis.

Unde Paulus: Propter peccatum unius hominis intravit mors in orbem terrarum: et rursus: Stipendia peccati mors: ut non solum intelligas animae, sed etiam corporis mortem ob peccatum primi hominis evenisse in omnes, qui ab Adam naturaliter erant propagati. (Th. 3. p. c. 14 art. 1. Scol. in 3. dis. 16. quae. 2. et Th. 3. p. q. 14 art. 2.) Quasi Christus, qui nullum peccatum habuit, nec ab Adam fuit naturaliter descendens, si suae naturae dimitteretur, non fuisset etiam mortuus, aut sentio conficiendus, nisi per novum miraculum fieret immortalis. Unde idem Augustinus: caro Christi mortalitatem de mortalitate materni corporis traxit, recte ergo Augustinus me mortuum dicit propter primi hominis peccatum, propter quod statutum est omnibus hominibus semel mori.

Idem in capite 32: Unde Spiritus sanctus per quemdam sapientem dicit: Super haec civitatis confirmabit nomen, et aedificatio mulier immaculata computabitur. Haec civitas quid aliud, quam Ecclesia, quae, ut alibi scribitur, posita est in quadro virtutum, et supra fidem evangelicam per virtutum viros illos apostolicos traditur? Quae civitas nomen Christi confirmat, dum adversus haereticos fidem christianam multipliciter ratione stabilit. Super hanc civitatem constituitur mulier immaculata, ut intelligas me nunquam sordibus fuisse pollutam. Vel profer tu aliam mulierem immaculatam, quae super Ecclesiam sit constituta. Inque Filius meus non est ancilla filius, sed liberae a potestate inimici, quae libertate Christus me liberavit. An absque causa terra sacerdotalis in Aegypto libera erat a tributo Pharaonis? Nonne Filius meus est sacerdos in aeternum secundum ordinem Melchisedech, qui est me tempore ex terra sacerdotalis natus est, terra, inquam, libera, non tributaria?

Accedi ad haec, quod quaedam testimonia sacrae Scripturae, ex Genesi, ex Levitico, Ecclesiastico, ex Psalmis, Isaia, et divo Paulo, quae immaculatae conceptioni refragari videbantur, haud difficile explicari possunt observando, quod universitas est duplex, logica, et politica. Illam una sola particularis interfirmit, hanc nec una, nec plures particulares: communitur enim dicitur, quod tota civitas concurret ad spectaculum, cum tamen multi domi maneant; et in hoc sensu d. Mathaeus (cap. 3) dixit, quod exibat ad Ioannem Ierosolyma, et omnis Iudaea, et omnis regio circa Iordanem. Unde d. Hieronymus (epistola ad Damasum Papam) de filio prodigo, exponens illud (Lucae 15): Fili, tu semper mecum es, et omnia mea tua sunt, ait, particulam illam universalem, omnia, non semper referendam esse ad totum, sed ad maiorem partem; et adhibet exemplum (Ps. 13): Omnes declinaverunt, simul inutiles facti sunt: Omnes, qui venerunt ante me, fures sunt (Iohn. 10): Omnes, quae sua sunt, quaerunt (Phil. 2). Secundo, quod propositiones universales de peccato originali loquantur de lege ordinaria, et secundum communem cursum, cum quo tamen stat specialior, et extraordinarie privilegiare aliquam personam, cuiusmodi fuit beata Virgo ob dignitatem Matris Dei, sicut olim regina Eshelger (c. 15) non fuit comprehensa sub universali lege ob regiam eius di-

gnitatem: quam doctrinam necessario debere admitti ab adversariis, ex eo evidenter constat, quod tenetur quiddam simile dicere ad locum Ecclesiastici (c. 40): *Omnia, quae de terra sunt, in terram converentur*; et ad illud (1. Corint. 15), ubi loquens de die iudicii: *Omnes, inquit d. Paulus, resurgens*: constat autem in his universalibus propositionibus, et in aliis similibus non comprehendi sanctissimam Virginem, cum neque in terram conversa fuerit, nec in die iudicii resurrectura sit, cum iam resurrexerit. Similia sunt verba illa Ieremiae (c. 50): *Omnes avaritiam student, et capite 8: Omnes avaritiam insectantur*; a quibus tamen necesse est excipere beatam Virginem. In iure etiam canonico extant similia exempla; nam in capite, *Omnes utriusque sexus, de poenitentibus, et remissionibus*, praedicta universalia verba verificantur, etiamsi aliquis particularis sit exemptus, quia Papa non ligatur per illud caput, ut docent plures iuristae cum Antonio de Butrio. Apud ipsos etiam est receptissimum, quod terminus universalis non distribuitur universaliter quoad illos, ex quorum distributione resultaret dissensus intellectus, ut habetur ex capite *Solitas*, (in principio de maiestate, et obedientia): at si universales propositiones, asserentes omnes contrahe peccatum originale, comprehendere beatam Virginem, resultaret mox iudicio dissensus intellectus: nam quid magis dissonum, quam ut, quae futura erat Mater Dei, prius fuisset ancilla diaboli, et odio habita a Deo, et ad aeternam poenam destinata secundum praesentem iustitiam? Quae omnia confirmare possumus ex doctrina d. Thomae (3. par. quest. 28. ad 2), ubi arguens, quod beata Virgo non fuisset sanctificata, antequam nata, per Augustinum ad Dardanum ita dicens: *Sanctificatio, qua efficitur templum Dei, non nisi renatorum est; igitur beata Virgo non fuit sanctificata, antequam nata, quia renasci praesupponit nasci*: et respondet d. Thomas, quod Augustinus loquitur secundum legem communem, secundum quam non regenerantur aliqui per sacramenta, nisi prius nati; cui legi Deus potentiam suam non alligavit, quoniam aliquibus ex speciali privilegio gratiam suam concederet, antequam nascerentur. Tertio dico, quod sicut theologii distinguere solent de duplici voluntate Dei, antecedenti scilicet, et consequenti, ita potest distingui de duplici peccatore, et de duplici morte, scilicet antecedente, et consequente: ille dicitur peccator, et mortem incurrisse antecedenter, qui in suis proximis causis habuit omnia sufficientia, et requisita ad peccandum, sive ad incurrendum mortem peccati; ille vero dicitur consequenter peccator, et mortuus, qui de facto peccatum contraxit: primo ergo modo concedi potest, quod beata Virgo peccavit antecedenter, quia, quatenus fuit propagata ex commixtione maris, et foeminae, habuit sufficientem causam ad contrahendum peccatum originale, et hoc est fuisse peccatricem, et mortuam antecedenter: sed inde non licet inferre: Virgo Maria antecedenter contraxit originale peccatum, ergo de facto contraxit; sicut non sequitur, Deus vult antecedenter antichristum salvari, ergo salvabitur.

Addo his omnibus, quod quia beata Virgo

concienda erat absque peccato originali, voluit Deus, ne parentes ex libidinis appetitu in usu matrimonii convenirent, ut constat, tum ex verbis angeli, quando apparuit patri beatae Virginis dicens (*Hist. B. Annae apud Sur. et Virg. auct.*): *Deus clausit ad tempus uterum uxoris tuae Annae, ut non libidinis foret, quod nasceretur, sed divini esse muneris nosceretur*: tum ex revelatione facta beatae Birgitae, quod parentes Virginis conveniant non ex voluptate carnis, sed ex Dei obedientia, et praecepto.

Testimonia etiam quadam, quae solum excipiunt Christum Dominum a peccato originali, in hunc modum explicari debent, quod solus Christus fuerit immunis a peccato, iure, et debito naturae, et ex vi suae conceptionis absque virili semine; beata autem Virgo non sic fuit immunis a peccato, sed per gratiam, et ex speciali privilegio Filii sui, et non per naturam. Ad hunc enim modum veniunt intelligenda multa loca sacrae Scripturae, ut (*Luc. 18*): *Nemo bonus, nisi solus Deus*; et (*Ps. 148*): *Exaltatum est nomen eius solus*; et: *Tu solus pius es*, et: *Soli Deo honor et gloria* (1. Timot. 2). Praeterea explicari possunt, quod illud, cui adiungitur exceptio, debeat accipi principaliter, alia vero minus principaliter, sicut (*Deuter. 6. et Matth. 4*) dicitur: *Soli Deo servies*, et tamen d. Paulus (*ad Timot. 6*) ait: *Qui fideles habent dominos, non contemnant, sed magis serviant*. Ne autem inter haec sit contraditio, omnes communiter explicant, quod servendum sit soli Deo principaliter: ad eundem ergo modum intelligere debemus, quod solus Christus immunis fuit a peccato originali principaliter, sed beatissima Virgo minus principaliter; Christus de iure, beata autem Virgo de facto, non de iure. Tertio explicari possunt, si aliorum sententiae adhaeremus, quod in exceptione Christi a peccato originali intelligatur etiam beata Virgo excepta: nam ut inquit d. Augustinus (*in sermone de Assumptione*): *Cara Filii est caro Virginis Matris*; ergo excepta carne Christi filii ab omni macula, etiam debet intelligi excepta caro Virginis matris; et praeterea, quia hoc ipso, quod eximitur aliquis rex, vel princeps a iurisdictione imperatoris, quantumcumque exemptio restringatur ad solum regem, intelligitur consequenter exempla etiam regina: sed beata Virgo est regina coeli, et terrae, et angelorum: ergo exemptio Christi regis a servitute peccati, etiam intelligitur exempta beata Virgo.

Tandem ad penetrandam mentem d. Augustini, et aliorum Patrum, apud quos nonnulla inveniuntur, quibus immaculatam Virginis conceptionem negare videntur, observandum est, quod illis temporibus maxime vigeat haeresis pelagiana, denegans in infantibus originale peccatum; ad cuius erroris extirpationem saepe Patres utebantur propositionibus universalibus, asserentes, omnes contraxisse peccatum originale: nec oportebat tunc excipere beatam Virginem, ne ex hoc haeretici ansam sumerent, qui obiciebant Augustino, plurimos fuisse sanctos in vita, ex quo videbantur sibi sufficienter colligi, quod non contraxissent peccatum originale; in quo errore magis firmarentur, si eis tunc concederetur, Virginem non contraxisse pec-

tum originale; unde sicut tempore Pelagii plus aequo tribuentis viribus liberi arbitrii, non absque ingenti incommodo, et iniuria divinae gratiae, tunc Augustinus, et alii sancti Patres, ita exaggerant necessitatem divinae gratiae, ut nonnulli derogare viderentur libertati liberi arbitrii; et contra vero tempore Lutheri negantis libertatem liberi arbitrii, et totam efficientiam actuum supernaturalium soli gratiae tribuentis, multi catholici scriptores ita in favorem libertatis propendunt, ut necessitatem divinae gratiae de medio tollere viderentur, licet re vera nec illi libertatem, nec isti praedictam gratiae necessitatem abnegare praesumerent: sic in proposito, cum vigeret haeresis pelagiana, peccatum originale negans, certe d. Augustinus, et alii Patres, ita contrariam sententiam adstruere conati sunt, ut sine ulla exceptione dicerent, omnes contraxisse peccatum originale, cum quo tamen stat, quod beata Virgo non contraxerit illud; quia ipsi loquebantur secundum legem communem, illud autem fuit ex speciali privilegio. Et hanc expositionem necessario esse admittendam ad eo evidenter constat, quia adversarii coguntur similem adhibere ad alia loca eiusdem d. Augustini, in quibus neminem excipit a peccato actuali, nisi Christum Dominum: nam in *lib. de fide ad Petrum* ait: *Firmissime tene, et nullatenus dubites, exceptis illis, qui pro Christi nomine sanguine suo baptizantur, nullum hominem accepturum vitam aeternam, qui non hic a malis suis fuerit per poenitentiam fidemque conversus*: et idem (*cap. 38*) iterum ait: *Firmissime tene, et nullatenus dubites, iustos atque sanctos homines, exceptis his, qui baptizati parvuli sunt, sine peccato hic minime vivere possunt*. Idem in simili dicit contra Julianum (*cap. 9*). Ecce in his omnibus locis oportet excipere bealam Virginem, quam constat, ex doctrina d. Augustini, et aliorum Patrum, nec non ex decreto concilii Tridentini, nunquam commisisse aliquid peccatum actualae, et veniale. Divus autem Bernardus, qui oppositam videtur amplecti sententiam, si rem bene perpendamus, immaculatae Virginis conceptioni optulatur: nam ille reprehendit canonicos Lugdunenses, quod sine exemplo, vel praeccepto romanae ecclesiae novum festum instituisset: si ergo nunc d. Bernardus (et idem est de aliis patribus) videret ex auctoritate romanae ecclesiae festum conceptionis celebrari, et indulgentias a Pontificibus concedi audientibus horas canonicas illius diei, etiam ipse id ipsum libentissime celebraret, immaculatam Virginis conceptionem credens, ut egregie adnotavit illustr. cardin. Bellarminus de cultu sanctorum lib. 3. cap. 16.

Deinde observandum est, quod inter sanctos Patres saepe contingit, in contrarias abire sententias; nam d. Gregorius et Hieronymus in eam propendunt, quae asserit, Salomonem damnatum fuisse, ut constat ex capite *Salomon* (32. quest. 4) et cap. *Si enim*, (ver. Salomon); Ambrosius autem, et Augustinus in epist. ad Hieronymum tenent, quod Paulus rationabiliter Petrum reprehendit, ut ipse ad Galatas 2. Hieronymus autem super epistolam ad Galatas, dicit, quod peccavit, ipsum, qui erat caput a-

postolorum reprehendendo. Item inter d. Augustinum, et d. Hieronymum fuit magna controversia de cessatione legalium, ac diversitas opinionum, uno tenente quod cessaverunt tali tempore, alio vero id negante, de quibus tractat Scotus (*in 4. dist. 3. quest. 4*), et Alexander de Ales (*in 3. p. Summae in tractatu de cessatione legalium*). Quando autem varietas viget probabilium opinionum inter patres, unicuique licet amplecti, per se loquendo, quam maluerit, ut cum multis theologis docet Henricus de Gandavo (*in 4. quodlibeto quest. 33*). Unde d. Augustinus (*in cap. Negare 9. distinctione*) loquens de suis propriis scriptis ait: *Necque quorundamlibet disputationes, quameis catholicorum, et laudatorum hominum, velut Scripturarum canonicas habere debemus, ut nobis non liceat, salva honorificentia, quae illis debetur hominibus, aliquid in eorum scriptis probare, aut respicere, nisi forte invenierimus, quod alter senserit, quam veritas habet, divino adiutorio, vel ab aliis intellecta, vel a nobis: talis ergo sum in scripturis aliorum, quales volo esse intellectores meorum: haec ille*; et in epistola ad Vincentium de scripturis sanctorum doctorum ait: *Tale genus scripturarum a Scripturis dicimus distinguendum est: non enim ita in eis testimonia proferuntur, ut contrarium sentire non liceat: Idem in cap. Ego, dist. 9: Ego alios ita loco, ut quantalibet sanctitate, quantae doctrinae polleant, non ideo verum putem, quia ita senserunt, sed quia mihi per alios auctores, vel probabiles rationes, quod a vero non abhorrent, persuaderi potuerunt: haec ille. Cum igitur quodlibet oppositum opinantur, non adducant rationes efficaciores, quam illas, quibus in hac sententiam trahimur, merito iuxta traditam d. Augustini doctrinam, ab eorum opinione in hac materia discedimus; maxime quod, ut fatetur Caietanus (3. p. quest. 74. art. 3), consuetudo ecclesiarum particularium tanta est auctoritatis, quod aliquando eam praefere licet sententiae gravissimorum doctorum: quanto ergo quaeso magis id licetibi in subiecta materia, ubi consuetudo totius ecclesiae romanae, quae fidei columna, et veritatis magistra est, iam obtinuit festum immaculatae conceptionis celebrari? Constat autem, quod interrogatos populus christianus, quid celebrat in festo conceptionis beatae Virginis, unanimi consensu, non solum vulgares homines, sed et hieratissimi respondent, praeservationem a macula peccati originalis: ergo signum est moraliter evidens, hoc esse obiectum praecipuum huius celebrationis in cultum tanti privilegii, et in honorem Virginis institutae, quae cum Filio suo vivit, et regnat in saecula saeculorum.*

§ VI.

EX THEOLOGIS SCHOLASTICIS

In primis refero praecleara testimonia d. Thomae: nam in primo sententiarum (*distinctio 44. art. 3. ad 3.*) sic ait: *Puritas intenditur per recessum a contrario, et ideo potest aliquid creatum inveniri, quo nihil purius esse possit in rebus creatis sine ulla contagione peccati: et ta-*